



**De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodiêre

Complectens Santos Mensivm || Ianvarii Et Febrvarii

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10258**

De S. Hilario episcopo Pictauien

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77365)

DE S. HILARIO EPISCOPO.

271

ab ijs, quibus hoc datum erat negocium, transmittuntur in profundum. Cùm suscepisset autem fluuii corpora sanctorum, & quanto oportuit fluento esset sanctificatus, ea rursus tradit manibus fidelium: vt qui talem, vt arbitror, thesaurum apud se diutius abdere non sustinueret, & tantiboni iactura afficeret Christianos, cùm prima eorum non apparuisset bonitas. Tertio ergò die postea, visa sunt corpora martyrum: in qua cùm incidissent quidam viri pii, & quorum erat officium venari corpora sanctorum, & ea optantibus manibus pè ac religiosè suscepissent, & sacros hymnos cecinissent, & quæcunq; mos est Christianis, peregrinarentur: in quodam loco, qui octodecim stadijs abest à ciuitate Singedone, ea simul deponuerat, vt eis essent omnia communia & amica: in Christū confessio, in carcere habitatio, in flumine demersio, superna gloria cōsecutio, in uno loco corporum depositio: gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri simul cum sancto spiritu gloria, potentia, honor & adoratio, nunc & in secula seculorum, Amen.

VITA S. HILARII PICTAVORVM EPISCOPI,  
AVTHORE FORTVNATO, TVNC ADHVC PRE-  
sbytero, Praefatio.

**D**omino sancto, & meritis beatissimo patri, Pascentio papæ, Fortunatus. Religiosi pectoris studio solicitante commonitus, papa beatissime, diuinis in actibus cùm sacri conuersatione propositi iugiter exercitari intentus, & intendis exercitandus: vt facile sit perspicuum, ad culturam Ecclesiasticæ disciplinæ & fuisse te genitum, & esse prouectum, cùm irrefragabiliter veteris dispositionis catholici dogmatis fundamenta custos observas, & ad ædificationem plebis amantissima, veluti bonus instructor, adjicendo aliquid, culmen fabricæ continuare festinas, non sine timore diuino. Cuius operis amore præuentus, me dignatus es percurgere, quôd de actibus sacratissimi viri Hilarij confessoris, qui te ab ipsis cunabulis ante sua vestigia, quasi peculiarem vernulam, familiariter enutruif, vt impensi muneris vel verba rependerem, & si non plenè, vel quedam ex parte complexa perstringerem: quantum dum gregis auribus vox quodammodo & vita pastoris antiquissimi resonaret, & ille probaret ministerium, & ipse tuum non celares affectū. Sed cùm mei ingenij breuitatem mensuro, adeò beati Hilarij immensitatem fortem cognosco, vt penè mihi videatur aequalē, tam istud posse dicere, quam digito cælum tangere: præsertim quod etiam beati (vt audio) Hieronymi torrens illud eloquium recusauerit attentare, qui huic matrici se imparem catenùs indicauerit, vt taceret. Egoverò, cui nullius scientiæ irrigua fluentia succurrunt, quem vix stillicidij pauperis attenuata gutta perfundit, nihil proprio fonte respirans: qua temeritate inter ingentia flumina, Euphratem beati Hilarij, & Nilum Hieronymi, siccós velim cursus extenderem, cùm de illo etiam doctissimi viri quicquid dicere potuerit, minus est quam meretur? Et cùm virum sanctissimum consultius mihi sit mirari quam loqui, æquabilius fuerat hęc beato Ambroſio de fratre scribenda mandare, cui verba virtutibus coniuncta florebant. Tamen et si cum mea verecundia vobis quidem obedientiam, & illi impendo, de quo non dignè loquor, fortassis in iuriam: sed concedi per veniam credimus, quod deuotione peccatur. Et nè protracta pagina fastidium potius generet, quam prouocet auditorem, nunc de eius vita proponamus.

Z 4

VITA

## VITA B. HILARII EPISCOPI.

13. JANVARII.

Patria.

Genus.

Coniunx &  
filia Hilarii.

GIT VR beatus Hilarius Picta uorum virbis episcopus, regio[n]is Aquitaniae partibus oriundus fuit? Quæ ab Oceano Britannico ferè millibus nonaginta seiungitur, apud Gallianas verò familiis nobilitatis lampade non obscurus, immo magis præ ceteris gratia generositatis, nitore pectoris addito ornatus, quasi resplendens lucifer inter astra processit. Cuius à cunabulis tanta sapientie primitua lactabatur infans, ut iam tunc potuisse intelligi Christum in suis causis pro obtinenda victoria, necessarium sibi iussisse militem propagari. Denique coniugem habens & filiam, ita plenitude Domini venerabiles animos ecclesiasticæ regulæ tradidit informando, ut adhuc in laicali proposito constitutus, diuino nuru pontificis gratiam possideret, ita seipsum propria disciplina coercebatur intentus, quasi futuram speciem indicans, ut irreprehensibilis in templo Christi præpararetur sacerdos. Nam quod inter mortales adhuc valde videtur difficile, tam cautum esse quenquam, qui se à Iudeis vel hereticis cibo suspendat: adeò vir sanctissimus hostes catholicae religionis abhorruit, ut non dicam coniuvium, sed neq[ue] salutatio fuerit cum his prætereunti communis. Vitabat hæc Dauidico suffultus exemplo, nè cum hereticis mensam participando, fieret illi in scandalum. O q[uod] perfectissimum laicum, cuius imitatores ipsi etiam esse desiderant sacerdotes: cui non fuit aliud vivere, nisi Christum cum dilectione timere, & cum timore diligere. Cuius sequaces, currunt ad gloriam diuertentes, ad poenam credenti succedunt præmia: recusanti, tormenta. Qui omnes de pia religionis opere commōnens, nunc alios de confessione inestimabilis sanctæ Trinitatis informans, nunc reliquos promissione regni cælestis inuitans, non cessabat in plebem verba veritatis, fructu fidei redundantia, seminare. Quo cognito de sancto Hilario, quoniam tantum lumen, & si voluisset, latere non potuit: quippe necessarium, ut alienas tenebras in lucem transferret: concordante fauore populi, aut potius Dei spiritu proclamante, vir olim mystérijs deputatus, aliquando sacris altaribus sacerdos electus est. Crescebat in eo quotidie opinio, famulatrix virtutum: nec erat fama eius contenta, circunieetas tantum Gallias illustrare, sed exteris nationes & regiones implebat, meritorum gratia percurrente: idque actum est, ut in toto orbe velociter beati pontificis gloria militaret.

Hæreticos  
quām sit  
aueratus  
adhuc laies-  
cus.  
Psalm. 67.

Eligitur in  
Episcopum.

Arrianoru[m]  
validissim[us]  
oppugnat[us]  
est.

Hæreticoru[m]  
versutia.

Cōdemna-  
tur exilio.

Epistola il-  
lius ad filia  
Abram.

Igitur Constantij Imperatoris tempore, cum Arriana hæresis, venenata de radice, flore toxicu[m] pullulare, tunc sanctissimus timore nudus, fidei feruore vestitus, quasi signifer belligator per medias acies inter hostiles fremitus, inter hæreticos gladios scingerebat, Christi charitate securus, nihil de sua morte formidans, illud solium metuebat, nè præiudicium religioni, quod absit, illatum præualeret. Hinc à Valente & Vr-satio episcopis, qui prava credulitate Ecclesiam Dei turbare pertinaciter insistebant, Imperatori persuasum est, ut virum eruditissimum, de quo loquimur, & Dionysiu[m] Mediolanensem, & Eusebium Vercellensem exilio condemnaret. Nihil enim poterat ante insuperabilem sancti Hilarij facundiam hæreticus obtinere: sperabat enim hostis fidei, alias se nebulas splendori catholico posse prætendere, si retrusus exilio, vir talis à certamine defuisset: quoniam si quis peruersus voluit cum illo configere, ac si mutus & claudus, nec verba poterat proferre, nec responsionibus currere: sed quasi natans in pelago, ante fluctum eius eloquentie mergebatur. Itaq[ue] in Phrygiam Asie regionem missus exilio, ad augmentum virtutis gratias egit: quia quantum pro nomine Christi longius discedebat de solo proprio, tantum merebatur fieri vicinior cælo. Qui dum ad locum peruenisset optabilem, nobis tacendū non est, quod illi diuinitùs concessum est. Nam eo tempore, sancto sibi spiritu reuelante, cognovit, quod beatissimā Abram filiam suam, quam cum matre Picta uis reliquerat, quidam iuuenis nobilissimus, prædiues, pulcherrimus, coniugij vinculo sibi quereret adnectendam. Sed ipse interuenit orationis assidue, cælestem illi sponsum sine contaminatione prouiderat. Mox opportunitate reperta, manu propria subscriptam filia direxit epistolam, sufficiente sale conditam, & velut aromaticis vnguentis infusa[m], qua tenetur Picta uis pro munere conservata: indicans ei, quod talem sponsum pater anxius prouidisset, cuius nobilitas ca-

los

Ios ascenderet, pulchritudo rosarum & lilij comparationem præcederet, oculi gemmarum lumine luminare, vestis candorem niuis oppimeret, ornamenta inestimabili fulgore vernarent, diuitiae intra se regna concluderent, eius sapientia incomprehensibilis emanaret, dulcedo faui mella postponeret, pudicitia incontaminata persisteret, odor suavitatis fragraret, thesauri sine defectione constarent. Addit ergo monitis, ut filia nulli se prius à matre diuisa coniugaret, quām ut patrem expectaret sibi pollicitum, & sponsum pariter cum promissione venturum. Quod Abra dulciter excipiens, & quasi sponsum futurum in epistola patris amplectens, admonitionem secuta est, nulli se in coniugio resoluens. Sed qualiter ad illum sponsum peruenierit, locus in sequenti seruatur.

Interea cūm toto orbe Arrianæ hæretis peruersitas pullularerat, dato generaliter Imperatoris edicto iussum est, ut omnes orientales episcopi apud Seleuciam Isauriæ opidum conuenirent, disceptaturi quid sentirent de fidei veritate. Tunc inter reliquos, Synodus apud Se. Iuciam, quanto iam exilio anno, de Phrygia sanctus Hilarius in prædicto loco data sibi perpendi cuestione, ad synodum venire compellitur. Qui quoddam castellum dum adisset, die Dominico ingressus est templum: moxq; Florentia puella gentilis, irrumens multitudinem populi, voce magna seruum Dei illuc aduenisse testata est, & ad pedes eius accurrens, non cessauit petere, nisi signum crucis ab ipso sibi fieri, fideliter impetrasset. Quam Florentius pater fecutus & cuncta familia, in nomine Domini meruerunt patrier baptizari. Quæ Florentia, relictis parentibus, vestigij eius inhærens, usq; Pettauos perducta est. Patrem vero se habere, non à quo generata est, sed per quem regenerata est, prædicabat. Cumq; Seleuciam peruenisset, magno fauore à cunctis exceptus est, cō Hilarius vñs quod diuina misericordia tam prudentissimum virum, & singulari eruditione compertum, in spectaculum mundi produxit, ubi erat de fide cœendum. Hinc post examinationem agnitus hostibus & oppressis, decretis in scripto conditis, prospera gerens synodi ad Imperatorem dirigitur legatio: cum qua perrexit sanctus Hilarius, quanvis ei non fuisset iniunctum, metuens ne adhuc contra religionis dogmata respiraret dama- ta perfidia.

Sed disserere longum est, qualiter in Ariminensi synodo, composita mentione, aliud Synodus ex alio referens, fraus hæretica serpentino lapsu subrepserit, & quomodo postea legatis Seleucensibus per Imperatoris impietatem ipsa est illata calumnia. Quod tamen Athleta Christi beatus Hilarius agnoscens, grauiter dolet apud Ariminum diaboli prævaluuisse mendacium, intantum, ut orientales partes simili composito prauitatis fuso inficeret. Imperatori autem tribus libellis oblatis, preces effudit, ut in eius conspectu collectis aduersarijs, esset ei contra hæreticos disceptandi de religione licentia, nè veritatem falsitas obnubilaret, nè iniquitas æquitati præuleret, nè Imperator Deo resistet, nè Trinitatis fidei, iniquitatis perfidia rebellaret. Vnde Valens & Ursatius, conscientia reatu perterriti, quoniam si daretur facultas certandi, mox se recognoscebant Nota artes hæreticorum. Hilarij contentionem prostreri, sollicitant Imperatoris animum, iam magna ex parte captiuum, ut ipsum Dei virum ad Gallias redire perureret, dicentes, illo praesente hæretica non posse machinamenta proficere. Quo obtentu, ad Gallias compulsus reuertitur, putans amplius se pati exilium, quod illuc perturbationem Ecclesie relinquebat, termino disceptationis non consecuto. O beatum pontificem, qui in summo discri mine, inimico etiam sibi iudice, adjit tribunal Imperij, sine timore tormenti. Veretatis visceribus diligebat Christi regnum, qui non formidabat in principatu Constantium. Nam quod se pro Domino sic ingerebat aperto periculo, optabat martyrium, si non decesserit percussor? & tam en animus sumpsit gloriam, et si tempus non intulit pœnam. Sed hunc ipsum diuino nutu seruatum testificor pro correctione multorum. Nam penè totum mundum graui errore confusum, factis sepius in Gallia synodis, per Hilarium fuisse ad viam veritatis adductum, confitetur lingua multorum. Quid autem Crebrae in Gallia Synodi interest, vel sibi pro æterna vita factum fuisse martyrem, vel amplius vixisse, reliqui nè perirent? Igitur sanctissimam animam et si gladius persecutoris non abstulit, ipse tamè palmam martyrij non amisit. Itaq; dum redregetur Hilarius ad propria, tunc beatus Martinus, æquè meritorum lumine non absconsus, qui ab eodem sancto Hilario S. Martinus exorcista est postea constitutus, cognito aduentu eius, Romanam festinanter occurrit, prædicatur. Quem cūm iam præterisse cognosceret, est usque ad Gallias prosecutus. Neque enim Martinus,

Martinus, qui adhuc catechumenus Christum chlamyde sua testum videre meruit, illi deuotus occurseret, nisi per omnia mysterijs plenum in eo spiritum præuidisset. Nec mirum, si ille, qui Deum prius vidi in paupere, postea illum habitare cognosceret in doctore.

Illud etiam nobis non conuenit tam nobile præterire miraculum. Nam cùm circa Gallinariam insulam propinquaret, relatione agnouit vicinorum, ibidem ingentia serpentium volumina sine numero peruagari? & ob hoc quanuis illis hac insula videtur vicina, propter inaccessibilem tamen locum longius illis videbatur esse, quād Aphrica. Q[uo]d auditu, vir Dei sentiēs sibi de bestiali pugna venire vietoriam, in nomine Domini, præcedente crucis auxilio, descendit in insulam. eoq[ue] viso, serpentes in sum gam conuersi sunt, non tolerantes eius adspicuum. Tunc baculum figens in terram, quasi metam, quo u[er]o quād debent excurrere, virtutis potentia designauit, nec amplius libertas est illis occupare, quod vetuit: & tanquam h[ab]et insula non sit terra, sed pelagus, qui dum semper illam partem verentur attingere, facilis est illis mare transire, quād vocem. O immutabilem terminum, de sermone plantarum. Apparet, quantum est melior Adam secundus antiquo? Ille serpenti paruit? iste seruos habet, qui possunt serpentibus imperare. Ille per bestiam de sede paradisi proiectus est! iste de suis cubilibus serpentes exclusit. Depositus anguis antiquum mendacium, qui didicit implere mandatum. O Hilarius dulce medicamentum & meritum, ante quem sine mora venena fugata sunt? addidit terram hominibus, quia in loco belua incolae transmigrant. Sed reuertamur ad ordinem.

**Pictorum summam gratulatione excipitur.** Cūm de exilio regressus, introiuit Pictuis, summo fauore plaudebant omnes pariter, eō quod ecclesia recepisset Pontificem, grec pastorem? & acsi omnes cum ipso tunc redissent ad patriam, ita sine illo se exiles fuisse deslebant. Itaque beatum Martinum in vico Tegiaco nomine dum præcepisset consistere, virtute diuina meruit ibi beatus Martinus mortuum suscitare. Deinde post aliquot dies infans sine baptismo regeneratione defunctus est, duplice morte damnatus? præsentem amiserat lucem, & poena futuri seculi non carebat. Tunc mater extincti, quād iam mater non erat, dum filium non habebat, prouoluta ad pedes sancti Hilarij, præcedentibus lachrymis, nati sui corpus effudit, exclamans: Martinus adhuc incipiens, catechumenum mortuum reuocavit? tu p[ro]tifex redde, rogo, filium aut mihi, aut baptismo. Qui populi pater agnoscetis, vt ego mater vocer, quād obtinebas. Sic illa plū lachrymis petente, quād verbis compositus pierate vir Dei & spectante populo, ad consueta arma recurrens, in terram prosternitur. Mox paulatim defuncti pallor in ruborem conuertitur, frigida membra reuocato spiritu intepescunt, oculoru[m] apertis ianuis palpebrae, peregrinum lumen agnoscunt, vox adducto aere de pectoris domicilio conflata profert, gressus suis vestigijs rediuitus extenditur, in anterioris fundamenti statum tota fabrica renouatur. Quid plura? Tandiu iacuit sacerdos in puluere, donec pariter surgerent, senex de oratione infans de morte. Eccē vita laudabilis, quād de alterius corpore necem precibus fugavit: spoliauit tartarum, spem habens in Christo. Mors ibi iura non tenuit, vbi Hilarius vim orationis ingerit. Sed tanta res non potest nostris verbis plū ornari, quād ipsius meritis. Nunc verò memorandum est, quod suprà prætermisimus, qualiter miracula reliqua hoc subiecto miraculo cumulauit.

Deniq[ue] cūm beatissimam Abram filiam suam, ad quam de exilio destinauit epistolam, incolumem inuenisset, alloquitur eam, quomodo dulcedo poterat patris, & facundia oratoris. Quid dicam? Alloquitur illam Hilarius, cuius eloquentia post ipsum, comparare aliquem vix audemus; nisi qui fuerit spiritu diuino, vt ille, repletus? tenet eius animū, si vellet attingere sponsum, quem patris gratia prouiderat. Tunc libenter ac desideranter, vt celeriter ei iungeretur, optabat. Quam voluntatem plus pater agnoscens, intentus orationibus, non cessauit, donec sine dolore, sine contagio, se prælente, de mundi ludibrio migrareret ad Christum? quam propriis manibus, vt decuit, veneranda tradidit sepulturæ. O funeris gloria, quād melior habetur quād vita: quia quod terræ subripuit, in cælum transmisit. Verè, vt ego considero, plus fuit, quād resuscitari, sic mori. Certa enim salus est, non contaminari peccatis. Quantu[m] cupebant, rebus cum vita traditis, talem transitum comparare, si mercatorem forsitan inuenirent? Quid distat inter iuuiificati infantis, & filiæ mortificatae mysterium, hisi quod illum

Fugat serpentes ex insula S. Hilarius.

Gene. 3.

S. Hilarius itidē fuscitat defunctum.

Filiæ mortis suis preciobus obtinet.

illum resuscitauit ad baptismum, hanc prædestinavit ad regnum & quod in illo adhuc spes peccandi restabat, haec immaculata finierat? Quod cum vidisset mater beata Abre, Itidem con- à pontifice postulat, ut & ipsa, si mereretur, erupta de mundi criminis, cum filia præsen- iugis quo- taretur ad regnum. Cuius vota considerans, assidua oratione & ipsam ante se transmisit dam suæ, ad gloriam. Quis aestimaturus est, talem virum ita dilexisse Dominum, coniugis & filiæ affectu contemptu? Tamen in hoc magis illas amasse cognoscitur, cum per ipsum lumen perpetuo transferuntur.

Quis verò abundantiam rigantis ingenij contendat euoluere, aut eius verba verbis valeat exquicare? Qualiter ille indiuise Trinitatis libros stylo tumente contexuit, aut scripta Davidici carminis sermone cothurnato per singula reseravuit? Quam fuit in discretione prouidus, in tractatu profundus, per literaturn eloquens, per virtutem mirabilis, in complexionibus multiplex, in resolutione subtilis, astutus, iuxta prophetam Matth. 16, immo prudens, iuxta Domini vocem, ut serpens, columba simplicis gratiam non amittens. Ipse conditifal ingenij, fons loquendi, thesaurus scientie, lux doctrinæ, defensor Ecclesiæ, hostium oppugnator. Cuius dicta qui legit, non credit dicere, sed tonare. Hoc fuit ultra homines sapere, tam cautè de religione censere. Sed qui vult ipsum agnoscere, eius exilia memorem, merita respiciat, volumina relegat, dicta perpendat, signa quotidiana percenseat. Qui dum superstes fuit in hoc seculo, aut scripsit Ecclesiasticae fiduci documenta, aut pugnando calcauit heretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum suffragia? quæ, volente Domino, usque in hodiernum diem eius orationibus persuérant. Sed mea lingua non sufficit singula de spiritu sancto, qui per eum operatus & locutus est, sicut illi dignum est, proferre. Det mihi prius veniam, quia multa preteriui, qui vix pauca conscripsi. Ita beatissimi Hilarij de præsenti seculo vita, Valente Abit è vita. & Valentiniano regnibus, cum gloria migravit ad Christum, terra plorante, calo gaudente, Amen.

### PRAEFATIO FORTVNATI IN LIBRVM SE- CVNDVM DE MIRACVLIS S. HILARII.

**D**ominus sancto, & meritis beatissimo patri, Pascentio Papæ, & in Christo florigera perenniter charitate vernatibus Ecclesiæ Pictauensis habitatoribus, Fortunatus. Cum veteres & infidelium conditores voluminum, eloquentie sua pompa cunctis ostendere, causa provocauerit opinionis inflata: dum inter regum vota seu funera, id est, prospera vel aduersa confuso vocis ordine, quodammodo nisi sunt cantare pariter & plorare, ut hi qui dixerunt, vel de quibus locuti sunt, saltem in libris viuerent, & si vacuis affectibus inaniter defecissent, cur ego melioris speci sollicitatus instinetu, patiar reticere summi confessoris viuentia merita & victorias, non sine, quod absit, vindiictæ celestis incursu? cum vix debita soluerem, si de beati Hilarij indefficientis lampadis splendore, infatigabili voce, die continuata cum nocte pariter decantarem? Qua verò vel irretitus inscitia, vel impulsus offensa, in ea voluntate sub graui torpore persistarem, ut cum illi plurimo decepti tractatu, de resoluta umbrarum imagine nonnulla conficerent, & in puluerem redacta cadauera, falsis quasi laudibus animarent: ego de sanctis permanentibus, & quod est felicius, in regno Christi intercessio sti quotidie florentibus, nihil referrem: præsertim ubi diversa diuersarum partium vi- Beatorum ambienda, detur esse causa mercedum: quod gentiles fructum laboris sui, inani tantum fauore vo- luérunt consistere: nos autem oporteat in beatorum virorum intercessione plantare? Quibus hic si verba soluimus, illuc gaudia comparamus. Idecire redat illi mobilis lingua praconium, à quo prius peccatores hunc conceperunt affectum. Nam bonis eius aper- te creditur inuideri, si quæ de illo cognouimus, silentio videantur abscondi.

Merito itaque cum ceteris & me de se loqui compellit, qui etiam niutos, ut loquantur, absoluti. Sed quam plura superstes in corpore fecerit, vel quanta operatus sit, postquam æterna in requie, plaudentibus angelis, ad Christum viator de mundi cerramine transmigravit, & si non potui, annorum vetustate subripiente, contingere: attamen vel quæ præsenti tempore miracula misericors præbuit, cupio indigenti memoria non fraudare: ut quisquis haec fideli, sicut concedet, auditu percepit, & præteri-